

15 *Octob. S. Theresiae*. Lectiones primi nocturni in hoc festo sunt de Scriptura occurrente (1).

20 *Octob. S. Joannis Cantii*. Si hoc festum secundas vespas integras non habeat, hymnus harum vespertinarum anticipandus est in laudibus (2).

28 *Octob. SS. Simonis et Judæ*. Si eos separari contingat, quia alteruter est principalis patronus vel titularis; tunc in primo nocturno officii s. Simonis leguntur lectiones de communi, et in officio s. Judæ lectiones ejusdem epistolæ. Lectio quarta, quia dividi non potest, legi potest in utriusque festo sicuti etiam evangelium cum homilia. Oratio in singulari legitur, et si ratione occurrentiæ vel concurrentiæ varianda sit, pro commemoratione facienda sumi potest oratio ex missa vigiliæ de communi apostolorum *Da quæsumus*, omittendo *Quam prævenimus*, quæ ponitur in vigilia s. Matthæi 20 Septembris (3).

DE FESTIS MENSE NOVEMBRI.

109. 2 Novemb. Commemoratio fidelium defunctorum. Si in dominica occurrat, juxta rubricas missalis et breviarii in feriam secundam sequentem transfertur: et idem faciendum est, si in festo de præcepto occurrat (4), uti decretum S. R. C. fieri debere supponit (5). Unde si in festo patroni loci occurrat, uti ubi s. Hubertus est patronus principalis loci, occurrente dominica in secunda Novembris; commemoratio defunctorum in diem post festum patroni, et in casu allato in diem quartam Novembris est transferenda. Huic non obstat, festum patroni in territorio reipublicæ Gallicanæ

(1) S. R. C. 2 Sept. 1741, n. 3970-4119, 12.

(2) S. R. C. 23 Maji 1835, n. 4597-4746, 8; Brev. edit. typ.

(3) Vid. Gavantus sect. 7, c. 12, n. 28.

(4) Gavantus sect. 7, c. 13, n. 2; Cavalieri tom. III, c. 1, dec. I, n. 2; Gardellini in dec. 4386-4536, in not. ad 10 et alii.

(5) 5 Oct. 1709, n. 3668-3817.

non amplius esse de præcepto, quia, suppresso præcepto, nihil aliud quoad ritum festorum mutatum fuit, ut dictum est tom. II, n. 301. Idem dicendum est de festo titularis seu patroni ecclesiæ tantum et non loci (1), quod non est, nec umquam fuit de præcepto in populo, sed ex devotione tantum servatur. Quod extendendum est ad alia quoque festa sine feriatiōe celebranda, dummodo sint ritus dup. 1 classis (2).

2º In commemoratione fidelium defunctorum tantum fieri potest officium duplex minus occurrens (3), nisi celebretur cum extrinseca aliqua solemnitate et concursu populi, in quo casu festum est transferendum, sive fidelium commemoratio fiat secunda, sive tertia Novembris (4).

3º In commemoratione defunctorum fieri nequit de translato duplici 1 aut 2 classis, neque de duplici majori (5), neque etiam de duplici minori, in eadem diem, sive secundam sive tertiam Novembris (6), fixe transferendo (7).

Omnes missæ, præter unam conventualem in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, de *Requiem* in paramentis nigris celebrandæ sunt, etiamsi officium fiat de duplici (8). Pro missa sumitur prima ex quatuor pro defunctis cum unica oratione *Fidelium*; quæ tamen missa ad libitum sacerdotis applicari potest, vel pro omnibus fidelibus defunctis, vel pro aliquibus tantum (9). Occurrente autem die depositionis defuncti, præsentem cadavere, ultra missam de commemoratione defunctorum, ubi hæc obligat, unica missa cantanda est, ut

(1) S. R. C. 22 Aug. 1890 Utinen.

(2) Cfr. Ephem. Lit. IV Pag. 545 et seqq. *Revue théol.* XXIII, 55 et seqq.

(3) S. R. C. 22 Mart. 1817, n. 4380-4530, 5, et 4 Jun. 1817, n. 4386-4536, 10.

(4) S. R. C. 5 Oct. 1709, n. 3668-3817, 11 Jul. 1716, n. 3737-3887; Gardellini in dec. 4386-4536, 10.

(5) S. R. C. 27 Mart. 1779, n. 4244-4393, 7.

(6) S. R. C. 14 Aug. 1858, n. 5264, 2.

(7) S. R. C. 24 Sept. 1842, n. 4801-4947, 1.

(8) S. R. C. 5 Oct. 1686, n. 2978-3127; 27 Mart. 1698, n. 3347-3496; 22 Mart. 1817, n. 4380-4530, 5, aliaque supra citata; 22 Januarii 1876, *Nuscana IV* in Actis s. Sedis, vol. 9, fol. 218.

(9) S. R. C. 4 Aug. 1663, n. 2094-2241, 9, et 2 Sept. 1741, n. 3970-4119, 4.

» 2^a juxta rubricas breviarii et missalis Romani; illa autem
 » die, quæ est 3^a Novembris, in archidiœcesi Mechliniensi
 » ritu duplici fit officium de s. Huberto, cujus festum in
 » pluribus ecclesiis celebratur cum magno populi concursu,
 » et non posset in sequentem diem transferri sine oblo-
 » quio, aliisve incommodis. Quæritur ergo utrum liceat,
 » casu occurrente, cantare in illis ecclesiis unam missam
 » de festo s. Huberti, dummodo cantetur etiam altera
 » missa de *Requiem* pro defunctis, ut præscribit rubrica
 » pro ecclesiis cathedralibus et collegiatis. Et quatenus ne-
 » gative, supplicatur Sacr. Rit. Congregationi pro conces-
 » sione hujus gratiæ. Sacra vero Congregatio... rescribendum
 » censuit: *Affirmative* » (1).

111. *Festum Patrocinii B. M. V.* celebrandum in qui-
 busdam locis aliqua dominica Novembris. In antiphona ad
Magnificat in primis vesperis et in septimo responsorio
 dicendum est *Tuum sanctum patrocinium* (2). Si in domi-
 nica assignata die octava vel festo digniori seu solemniori
 impediatur, sine speciali indulto non transfertur, sed omit-
 titur, nisi sit de præcepto (3). In archidiœcesi Mechliniensi ex
 speciali indulto transferri potest, ut tom. II, n. 287, notatum
 fuit. Si transferatur usque ad adventum, in missa et officio
 nihil immutandum est præter nonam antiphonam, cui subro-
 gatur, *Angelus Domini*, et loco versus gradualis *Post Par-
 tum* sumitur versus ex missa votiva B. M. V. tempore adven-
 tus (4). In hoc festo pro pluribus locis concessæ sunt indulgentiæ
 plenariæ, ad quas lucrandas aliquando requiritur, ut missa
 sollemnis celebretur de patrocinio B. M. V.; aliquando
 translato festo, transferuntur indulgentiæ (5); quandoque
 omisso officio, una missa sollemnis de patrocinio concessa

(1) 7 Sept. 1850, n. 5151, 2 in Mechlinien.

(2) S. R. C. 25 Aug. 1818, n. 4399-4549, VI.

(3) S. R. C. 13 Sept. 1692, n. 3146-3295, 2; Gardellini in dec. cit.
 25 Aug. 1818.

(4) Dec. cit. 25 Aug. 1818; 30 Julii 1871, n. 5488, III.

(5) S. R. C. 11 Sept. 1790, n. 4293-4442, 5 et 6.

est (1). Unde forma concessionis indulgentiæ bene exami-
 nanda est pro casu, quo festum omittendum aut transferen-
 dum est.

112. 10 Novemb. *S. Andreae Avellini*. Officium antea
 semiduplex, decreto generali ad ritum duplicis minoris pro
 Ecclesia universali elevatum (2).

17 Novemb. *S. Gregorii Thaumaturgi*. Hujus officium
 celebrandum est sub ritu semiduplex, et Romæ tantum
 ex privilegio sub ritu duplicis minoris (3). Hoc etiam pro
 quibusdam aliis festis notandum est, ut ss. Vincentii et
 Anastasii mart., quæ Romæ ex privilegio sub ritu dup. cele-
 brantur.

DE CONSECRATIONE SEU DEDICATIONE ECCLESIAE EJUSQUE
 ANNIVERSARIO.

113. Inter festa, quæ per annum celebrantur, tria spe-
 cialem requirunt notitiam, scilicet festa dedicationis, patroni
 loci, et titularis ecclesiæ: de primo agetur hoc loco et de
 aliis num. 118 et seq.

1. Pridie dedicationis ecclesiæ reliquiæ sanctorum, altari
 consecrando includendæ, vasculo inclusæ, in aliqua proxi-
 miori ecclesia vel oratorio. vel sub tentorio parato et ornato
 inter luminaria exponuntur; et per totam noctem (4) coram
 eisdem *celebrandæ sunt vigiliæ et canendi nocturni, et
 matutinæ laudes in honorem sanctorum, quorum reli-
 quicæ recondendæ sunt*, juxta pontificalis rubricas. Pro his
 vigiliis, cantandum aut recitandum non est officium dedica-
 tionis, quod tantum incipit consecratione peracta; sed matu-
 tinum, laudes, hymni, cantica, et quæcumque alia coram
 reliquiis recitantur vel cantantur, de communi sanctorum,

(1) S. R. C. 16 Jun. 1663, n. 2076-2223, 1.

(2) S. R. C. 21 Jan. 1864, n. 5330.

(3) S. R. C. 11 Mart. 1837, n. 4657-4806, 2.

(4) S. R. C. 7 Aug. 1875, n. 5621, III.

quorum sunt reliquiae, recitanda vel cantanda sunt, cum simili oratione de communi sine expresso nomine (1).

2. Officium dedicationis inchoandum non est a primis vespers pridie consecrationis, sed consecratione peracta et completa, ab illa hora, in qua consecrationis actio jam est perfecta (2) : ita ut vespere pridie consecrationis, matutinum, laudes et prima consecrationem praecedentes recitandae sint vel de feria vel de sancto, prout in ordinario seu directorio descriptum fuerit (3); et deinde omisso officio descripto in ordinario, officium dedicationis tantum inchoandum sit, peracta consecratione, ab hora minori tertia (4). Dies tamen octava dedicationis revoluta hebdomada celebratur ea die, qua dedicatio facta est. Officium illius diei, in qua ecclesia consecratur, hoc anno transferendum non est, quia factum est, licet non totaliter.

3. In die consecrationis ecclesiae, ejusque die anniversario recitatur officium de dedicatione sub ritu duplici 1 cl. cum octava a clero illius ecclesiae, ut dictum est tom. II, n. 220. Episcopus consecrans, etiamsi non sit ordinarius loci, in ipso die consecrationis idem officium ex congruentia recitare potest, sed non debet (5). Officium et missa semper de communi dedicationis, et non de B. M. V. neque de alio festo dicenda sunt, licet ecclesia eundem titulum habeat (6).

Si dedicatio occurrat in die impedita, ejus officium nullum privilegium praeter aliis festis habet, sed transferendum est juxta rubricas (7). In casu translationis officium inchoandum est a primis vespers, quia fit consecratione peracta.

(1) S. R. C. 23 Maji 1835, n. 4593-4742, 2, et in not.; 14 Jun. 1845, n. 4863-5008.

(2) S. R. C. 19 Jul. 1780, n. 4251-4400, 4, et 23 Maji 1835, n. 4593-4742, 1.

(3) Dec. cit. 19 Jul. 1780, ad 5.

(4) S. R. C. 7 Dec. 1844, n. 4833-4979. Vid. Gardellini in dec. cit. n. 4593-4742.

(5) S. R. C. 7 Maji 1746, n. 4032-4181, 8.

(6) S. R. C. 14 Nov. 1654, n. 1589-1736, et 24 Jan. 1660, n. 1886-2033.

(7) Vid. tom. II, n. 267, resp. 1 et 2; n. 268, reg. 4, 5 et 8; n. 278.

4. Ex praescripto pontificalis Romani post factam consecrationem sollemnis celebratur missa vel ab ipso Pontifice consecratore, vel ab alio sacerdote, prout in missali in ipsa die dedicationis, cum oratione *Deus qui invisibiliter*, et cum commemorationibus occurrentibus, quae locum habent in festis 1 cl. sed sine commemoratione officii, de quo matutinum est recitatum, quod eo ipso cessat et omittitur. Si consecratio fiat in diebus, in quibus officium dedicationis transferendum est, missa tamen sollemnis de dedicatione, omissis omnibus commemorationibus (1), celebranda est, nisi occurrat in diebus per rubricas generales missalis tit. VI exceptis (2). In diebus exceptis dicenda est missa officii currentis cum commemoratione dedicationis sub una conclusione, ut dictum est tom I, n. 29, de votiva sollemni (3).

5. Aliae missae a clero ecclesiae consecrandae in eadem ecclesia ante peractam consecrationem celebrari nequeunt, quia ecclesia ante consecrationem omni suppellectili denudata, ejusque altaria spoliata esse debent : adeoque ubi nulla alia est ecclesia vel capella idonea, sacerdotes celebrare debent post peractam consecrationem; sin minus ea die abstinere (4) : missam autem celebrare non tenentur, nec populus eandem audire, si sit dies ferialis (5). Si sacerdotes ante peractam consecrationem celebrent, missam conformem officio, de quo matutinum recitarunt, celebrant; si autem completa consecratione celebrent, missam de dedicatione dicere tenentur, ut patet ex dictis ad 2.

114. Anniversarium dedicationis celebrandum est ea die, qua consecratio fuit peracta, non quidem feria secunda aut tertia, sed in die mensis (6), nisi diebus impeditis occur-

(1) S. R. C. 23 Feb. 1884, n. 5907, 3. Vid. Ephemerid. Liturg. I, fol. 221 et 596 et seq.

(2) Cavalieri tom. I, dec. I, n. 58 et seq.

(3) Merati tom. II, sect. 8, c. 5, n. 18; S. R. C. 23 Feb. 1884, n. 5907, 3.

(4) S. R. C. 19 Jul. 1780, n. 4251-4400, 6.

(5) Idem dec. ad 3.

(6) S. R. C. 16 Oct. 1604, n. 108-254; 9 Dec. 1634, n. 865-1012; 13 Mart. 1649, n. 1458-1605; 3 Mart. 1674, n. 2523-2575; 12 Sept. 1840, n. 4751-4898, 1.

rat, in quibus ad primam diem non impeditam transferendum est. Quamvis autem in diebus impeditis non occurrat, ob occursum tamen festi solemnis, octavæ paschæ et pentecostes, ob tempus adventus et quadragesimæ, ob votum populi aliasque rationabiles causas consecrator in actu consecrationis alium diem ad celebrandum anniversarium dedicationis decernere potest (1). Id tamen tantum potest in actu consecrationis, seu infra consecrationem, ab incepto officio consecrationis ante ejusdem finem, seu finita missa, licet per alium celebrata, quando populum solemniter benedicit, indulgentiam publicat, et diem anniversarium assignat (2). Extra actum autem consecrationis alium diem assignare nequit, inconsulta Sede Apostolica (3). Quando tamen constat ecclesiam esse consecratam, sed dies consecrationis ignoratur, dubium est, an ordinarius suo arbitrio certam diem assignare possit: nam licet id in variis decretis innuatur (4); in decreto tamen 13 Aug. 1667 (5) expresse declaratur id spectare ad S. R. C. (6).

In toto territorio reipublicæ Gallicanæ ex indulto pro reductione festorum 9 Ap. 1802, et declaratione Emi Card. Legati 21 Jun. 1804, anniversarium omnium ecclesiarum consecratarum celebrandum est in dominica, quæ diem octavam omnium sanctorum subsequitur: ita ut præterea nullum aliud anniversarium dedicationis sive cathedralis, sive alicujus ecclesiæ particularis celebrari possit, eo quod cujusvis particularis ecclesiæ dedicatio intelligatur comprehensa et celebrata in festo anniversarii consecrationis omnium ecclesiarum (7). Hæc dispositio comprehendit etiam

(1) S. R. C. 19 Sept. 1665, n. 2196-2343, 3.

(2) S. R. C. 24 Maji 1844, n. 4829-4976. Vid. Merati tom. II, sect. 8, c. 5, n. 8; Cavalieri tom. I, dec. 1, n. 18, item dec. 2; Guyetus lib. 2, c. 1, q. 2 et 3.

(3) S. R. C. 19 Nov. 1667, n. 2276-2427; 21 Jan. 1679, n. 2724-2873, 2; 6 Sept. 1834, n. 4586-4735, 1.

(4) Præsertim 3 Mart. 1674, n. 2523-2675.

(5) N. 2268-2419, 7.

(6) Vid. Cavalieri tom. I, dec. 5, n. 8 et seq.

(7) S. R. C. 31 Mart. 1821, n. 4431-4581, 5; 16 Ap. 1842, n. 4795-4941, 4.

ecclesias, quæ postea consecrantur; verba enim indulti et declarationis Cardinalis Legati generalia sunt (1). Hoc autem notandum est, anniversarium dedicationis non celebrari eodem anno, quo consecratio peracta est, sed anno sequente.

115. Ut anniversarium dedicationis celebrari possit et debeat, non sufficit, ut ecclesia sit benedicta, sed requiritur ut sit consecrata (2). Quamdiu autem existit, anniversarium dedicationis ejus celebrandum est, etiamsi polluta fuerit (3). Attamen anniversarium dedicationis celebrari non potest, si sit dubium, ecclesiam esse consecratam (4); neque etiam de ecclesia destructa et profanata, seu loci sacri qualitate perpetuo amissa (5).

Si ecclesia successive et per partes reparetur, consecrationem non amittit, ejusque dedicationis anniversarium celebrandum est (6). Quinimo ecclesia vendita, usibus humanis destinata, conversa in stabulum aut horreum licet per plures annos, non videtur execrata sed profanata, neque igitur iterum est consecranda sed reconcilianda, ejusque præcedentis dedicationis anniversarium est recolendum.

De dedicatione capellarum, et oratoriorum consecratorum idem dicendum est sicut de titulari, de quo agetur num. 125.

116. Notandum circa officium dedicationis: in primo nocturno diei octavæ dedicationis semper repetendæ sunt lectiones, quæ jam in primo nocturno diei dedicationis lectæ fuerunt (7); et similiter repetendæ lectiones tertii nocturni,

(1) S. R. C. 31 Aug. 1872, n. 5516. Vid. tom. II, n. 220 et 226.

(2) S. R. C. 21 Mart. 1795, n. 4314-4463, 1; Cavalieri tom. I, dec. 5, n. 3 et seq.

(3) S. R. C. 8 Ap. 1713, n. 3704-3853, 1.

(4) S. R. C. 18 Aug. 1629, n. 679-826, 1, et 7 Ap. 1832, n. 4539-4688. Quoad dubium tamen casum vid. dec. 22 Ap. 1780, n. 4247-4396; 15 Maji 1819, n. 4409-4559, et ibidem not. Gardellini; Cavalieri tom. I, dec. 4; Guyetus lib. I, c. 3, q. 6.

(5) S. R. C. 2 Jun. 1685, n. 2940-3089, 1; 15 Sept. 1815, n. 4366-4516, 1; 30 Sept. 1817, n. 4392-4542, 6. Vid. etiam dec. 8 Ap. 1713, n. 3704-3853, 1; Gardellini in dec. 4437-4587, 1.

(6) S. R. C. 19 Sept. 1859, n. 5293; 16 Jan. 1886, n. 5959.

(7) S. R. C. 5 Maji 1736, n. 3894-4044, alia dubia ad 6, et 2 Sept. 1741, n. 3970, 4119, 12.

quæ in die dedicationis ponuntur : si vero aliquæ lectiones homiliæ ob occurrentia festa non sint lectæ, tunc in die octava legi possunt illæ lectiones homiliæ, quæ primum post diem festi dedicationis infra octavam impeditæ et omissæ fuerunt (1). Quando plura anniversaria dedicationis occurrunt aut concurrunt, tunc ad varietatem in orationibus inducendam, pro commemoratione sumitur oratio *Deus qui invisibiliter*, quæ alias in ipsa die dedicationis dicitur : et si secunda commemoratio fieri debeat, adhiberi potest oratio, quæ in missali pro die dedicationis altaris ponitur, in secreta et postcommunione mutando *altare in templum* (2).

117. Notandum : 1° jejunium pridie consecrationis ecclesiæ a pontificali Romano præscriptum esse strictæ obligationis pro episcopo consecrante, et pro iis tantum, qui ecclesiam sibi consecrari petunt (3). 2° S. R. Congregationem sæpius dispensasse pro ecclesiæ consecratione, etsi undique circumiri nequeat (4). 3° Duodecim cruces, quæ in dedicatione ecclesiæ super parietes pinguntur, vel inciduntur « omnino » perpetuis futuris temporibus remanere debere » in testimonium consecrationis ecclesiæ (5); et si destructæ fuerint, easdem iterum depingendas esse, omissa unctionis cæremonia (6). 4° Non licere « partem adhibere, quæ jacet subter » pavementum ecclesiæ præsertim consecratæ, ut cellarium » et aliud hujusmodi, ad retinendum ibi vina et alias res » mere profanas, quamvis aditus ad prædicta loca sit extra » corpus sacri ædificii » (7).

(1) S. R. C. 27 Aug. 1836, n. 4638-4787, 5. Vid. tom. II, n. 347. S. R. C. in Cuneen. 2 Jun. 1883, n. 5874 ad XIV.

(2) Cavalieri tom. I, dec. 19, n. 8 et seq.

(3) S. R. C. 29 Jul. 1780, n. 4251-4400, 1, et 12 Sept. 1840, n. 4761-4908.

(4) Vid. n. 299.

(5) S. R. C. 18 Feb. 1696, n. 3233-3382.

(6) S. R. C. 31 Aug. 1867, n. 5381, 5.

(7) S. R. C. ibid. ad 6.

DE TITULARI SEU PATRONO LOCI ET ECCLESIE.

118. Patronus dicitur cum relatione ad superiorem, et proprie est persona creata, scilicet angelus vel sanctus; titulus autem generaliter significat quamcumque personam divinam aut creatam et quodcumque mysterium. Unde omnis patronus quidem titulus, non autem omnis titulus patronus dici potest. Patronus tamen et titulus sæpe confunduntur, licet tamen, ut patet, aliquando differant. Loquendo de ecclesiis, nomen tituli seu titularis sæpe adhibetur, quia ecclesia suum nomen seu titulum ab eo communiter derivat : et loquendo de locis nomen patroni usitatus est, licet tamen dentur loca, quæ mysterio dedicata inveniuntur, quo casu nomen tituli solum adhiberi potest.

119. Patronus seu titulus datur et per se debetur ecclesiæ, regno, provinciæ (seu statui, ducatus, aut patriæ, quocumque nomine (1) vocetur), civitati, oppido, pago (2), et diœcesi. Dicitur *per se*, quia, quamvis patronus iisdem per se conveniat, dantur tamen loca, quæ patronum non habent. Ordini autem, congregationi religiosæ, et monasterio patronus per se non debetur, sed tantum datur ex congruentia et privilegio (3) : ita ut, si ordo, provincia religiosa, vel monasterium aliquem sanctum in patronum, vel mysterium in titulum assumant; sine speciali tamen indulto officium de eo celebrari nequeat, vel non altiori ritu quam in kalendario notatur (4).

120. Patronus seu titulus ecclesiæ in benedictione primarii lapidis pro ecclesia ædificanda eligitur ex privato etiam fundatorum vel aliorum, ad quos spectat, beneplacito; de facto autem in ipsa benedictione seu consecratione ecclesiæ constituitur : ita ut festum sancti vel mysterii, in cujus honorem ecclesia benedicatur aut consecratur, eo ipso sit

(1) S. R. C. 22 Mart. 1817, n. 4382-4532.

(2) Constitutio Urbani VIII, 1642, n. 1264-1411.

(3) S. R. C. 16 Mart. 1658, n. 1723-1870, et 31 Mart. 1821, n. 4431-4581, 2, in not.

(4) S. R. C. 22 Nov. 1710, n. 3684-3833, 2.

in die obitus, aliæ autem missæ in hoc casu de commemoratione defunctorum dicendæ sunt (1). In die qua a regularibus generalis fit commemoratio defunctorum ordinis, occurrente duplici, de *Requiem* celebrare non licet, nisi speciale detur privilegium (2).

Occurrente oratione quadraginta horarum in commemoratione fidelium defunctorum, licet recitare officium defunctorum, et celebrare missam solemnem et etiam privatas de *Requiem*, pro arbitrio adhibendo paramenta violacei vel nigri coloris, præterquam ad altare, in quo ss. Sacramentum exponitur, quod colore albo cooperiendum est, et ad quod officium et missa defunctorum in colore violaceo celebranda sunt (3). Idem dicendum erit occurrente adoratione perpetua, ut dictum est tomo secundo n. 25. Si ex pervetusta consuetudine in commemoratione fidelium defunctorum missa coram ss. Sacramento exposito celebretur, missa diei celebranda est, et missa de *Requiem* in hoc altari omnino prohibetur (4).

Alia officia, ut administratio sacræ communionis, concio, etc. in colore officii diei fieri debent.

In ecclesiis cathedralibus juxta cæremoniale Ep. (5) vespere et matutinum defunctorum immediate post vespas omnium sanctorum simul et junctim recitari possunt, etiam ante completorium (6); in aliis autem ecclesiis matutinum commemorationis defunctorum ipsa die festivitatis omnium sanctorum post completorium recitari nequit (7); sed recitandum est mane die secunda Novembris, nisi, ut populus commodius et frequentius illi interesse possit, contraria jam faceret consuetudo (8). Quæ consuetudo in his locis commu-

(1) S. R. C. 20 Sept. 1687, n. 3000-3149.

(2) S. R. C. 26 Mart. 1859, n. 5278, 3.

(3) S. R. C. 16 Sept. 1801, n. 4328-4477, et dec. gen. 27 Junii 1868, n. 5403.

(4) S. R. C. 14 Junii 1873, n. 5551.

(5) Lib. 2, c. 10, n. 1.

(6) S. R. C. 5 Jul. 1698, n. 3328-3477, 20.

(7) S. R. C. 19 Jan. 1743, n. 3987-4136, 5.

(8) S. R. C. 4 Sept. 1745, n. 4028-4177.

niter existit. Quoad privatam autem officii defunctorum recitationem in die commemorationis defunctorum, vespere defunctorum recitandæ sunt post vespas omnium sanctorum, et deinde recitatis completorio, matutino et laudibus diei sequentis, matutinum cum laudibus defunctorum pridie licite recitari potest (1). Quando officium defunctorum conjunctim cum officio diei recitatur, vespere defunctorum dicuntur post vespas diei dicto *Benedicamus domino*, et omisso versu *Fidelium animæ*; et similiter matutinum et laudes defunctorum post laudes diei, dicto *Benedicamus*, et omisso versu *Fidelium* (2).

In commemoratione defunctorum licet longa conclusio in oratione officii dicatur, in absolutione tamen brevis tantum dicenda est, scilicet *Qui vivis et regnas in sæcula, etc.* (3).

Not. nemini licere facere octavas pro defunctis, præsertim infra octavam omnium sanctorum, sine speciali indulto Sedis Apostolicæ (4). Censet tamen Cavalieri (5) tantum prohiberi octavas, quarum ratione singulis diebus, etiam in duplicibus missa de *Requiem* cantaretur, vel quarum ratione officium diei currentis in cathedralibus et collegiatis omitteretur, ad cantandum officium defunctorum; non vero illas, quæ sine rubricarum læsione et absque officii diei præjudicio celebrantur.

110. 3 *Novemb.* In his locis hac die communiter benedicitur panis in honorem s. Huberti: plures hujus benedictionis formulæ existunt; sed præferenda et sola sumenda est illa quæ a competente auctoritate est approbata ut dicitur n. 293.

Notandum hic est sequens decretum: "Si prima dies post festum omnium sanctorum fuerit dominica, commemoratio omnium fidelium defunctorum fit sequenti feria

(1) Dec. cit. 4 Sept. 1745.

(2) Rub. gen. brev. tit. XXX, n. 3.

(3) S. R. C. 5 Jul. 1698, n. 3328-3477, 4.

(4) S. R. C. 13 Aug. 1667, n. 2270-2421, et 8 Oct. 1695, n. 3223-3372.

(5) Tom. III, dec. 87.